

BIS hoc non tam munusculum mitto, pietatis et obseruantiae si-  
gnum, quam quasi ingenii partum qualemcunque in adoptio-  
nem VOBIS offero. Quo facto iam omnem et plenam VOBIS in  
eum potestatem concedo, formandumque eum et perpolien-  
dum VOBIS trado. Quare, si quae in eo sint, quae aut di-  
spliceant plane, aut minus placeant, moneatis rogo, pro ea,  
quam semper in VOBIS et admiratus sum, et amaui, integri-  
tate atque beniuolentia. Sed ne omnino haec mei caussa  
scripta videantur, facio iam id alterum eorum, quae a me fie-  
ri voluit inprimis Vir Iuuenis generosissimus de Krue-  
ger. Praesens is VOBIS huncce libellum et suo, et meo nomi-  
ne offert, leue munusculum, quod ab utroque nostrum ad  
vos proficiscitur. Eum vero diligentem hucusque audito-  
rem, non mea tantum, sed et Virorum illustrium, exopta-  
tissimorum Collegarum, MANTZELII et BECKERI voce for-  
matum et institutum hucusque, maxime VOBIS commendo.  
Quam quidem commendationem scitote esse grauissimam.  
Nam, quum ipse Vir Iuuenis ornatissimus, singulari studio  
contenderet a me, ut ipsum VOBIS diligentissime commenda-  
rem, videbatur putare, aut me huius generis artificium  
quoddam singulare tenere, aut multum valere apud vos  
meae vocis auctoritatem. Cuius ego studio vix videor mihi  
satisfacere posse, etiamsi utar verbis iis, quibus, quum  
diligen-